Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31476
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png">

Alla Domine in virtute tua letabit rex et super salutare tuum exultabit vehementer. Lucam

In illo tempore dixit dominus Estote misericordes sicut et pater vester misericors est. Nolite iudicare et non iudicabimini. Nolite condempnare: et non condempnabimini. Dimittite et dimittemini. Date et dabitur vobis. Mensuram bonam et confertam: et coagitatam et superefluentem dabunt in sinum vestrum. Eadem quippe mensura qua mensi fueritis remetietur vobis. Dicebat autem illis similitudinem.

Numquid potest cecus cecum ducere? Nonne ambo in foveam cadunt. Non est discipulus super magistrum. Perfectus autem omnis erit si sit sicut magister eius. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui: trabem autem que est in oculo tuo non considerasti? Aut quomodo potes dicere fratri tuo: frater sine educam festucam de oculo tuo: ipse in oculo tuo trabem non videns? Hypocrita eice primum trabem de oculo tuo: et tunc perspicies ut educas